



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**In Vaticinia Isaiae, Prophetae Clarissimi, Paraphrasis,  
Heroico carmine conscripta**

**Carpenteius, Joannes**

**Antverpiæ, 1588**

Cap. 12.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68688](#)

Interea dictante Deo legesque ferente;  
 Conueniet nullo pax dissoluenda tumultu  
 Inter utramque tribum, ponent odia aspera tandem,  
 Mutua nec fodient repetito pectora ferro,  
 Nec bellis acuent ultra ciuilibus enses:  
<sup>14</sup> Sed iunctis animis dispartitique labore,  
 Prima Palæstinis indicent bella colonis:  
 Ammon hic de populo Iudeæ finiti-  
 mo intelligi-  
 tur, qui ex si-  
 liis Lothi pro-  
 gnatus erat.  
 Mox velut alati maria omnia peruolitabunt,  
 Prædatoque ferent celebres oriente rapinas:  
 Inſtituent paſsim leges, & Marte subactis  
 Iura dabunt, morisque etiam ritusque nouabunt  
 Sacrorum: vox missa plazas exibit in omnes;  
 Audiet, & si quem palmetis diues Idume  
 Detinet umbrisferis, & quem deserta Moabi  
 Gaudentem rapto scopulosis montibus abdunt:  
 Audiet, & nati in morem data iussa capesset  
 Quamvis gentilis, tamè hac tenus improbus Ammon,  
<sup>15</sup> Atque adeò ut Phariis sacra hæc vulgetur in oris,  
 Ipse Deus lingua, Deus ipse latrantis Anubis  
 Euellet, cali Domino maledicere suetam,  
 Increpitumque graui commoti numinis ore  
 Excedo latè stagnantem flumine Nilum,  
 Diductum in tenues septena per ostia riuos  
 Multabit: gemet ille suo spoliatus honore,  
 Siccaque calcari pedibus vada flebit inultis.  
<sup>16</sup> Tali calle mihi lectas ab origine gentis  
 Reliquias (ait Omnipotens) educere certum est,  
 Qualem olim Hebreis Pharios fugientibus agros  
 Gurgitis eoi memini struxisse per undas.

**Cap. 12.** <sup>1</sup> Tum tu parue meo grex factus munere liber,  
 Ni male gratus eris, tantoque indignus amore,  
 Hoc mihi adoratas carmen recitabis ad aras:  
 Te pater alme canam, quanquam mihi cognitus ipse  
 Terrear; ut nequeam te dignas dicere laudes,  
 Te memorare iuuat tamen, eternumque iuuabit.  
 Nam quis te melior? quis iustas promptior iras  
 Ponere, & immeritos venia donare petita?  
 Sanè ego postquam à me tua nunc deferuit ira,  
 Auersusque furor, solatia dulcia sensi,  
 Et noua firmato rediit fiducia cordi.  
 Degeneres procul ergo metus, procul esse timores  
 Attoniti: <sup>2</sup> Deus ecce meus, Deus ecce mearum  
 Et decus & columen rerum, Deus ecce salutis

<sup>14</sup> Et volabūt in hu-  
 meros Philistium  
 per mare, simul præ-  
 dabūt filios oriētis:  
 Idumæa & Moab  
 præceptū manus eorum, & filij Ammon  
 obedientes erunt.

<sup>15</sup> Et desolabit Do-  
 minus linguam ma-  
 ris Aegypti, & leuabit  
 manum suam super  
 flumen in fortitudine  
 spiritus sui: & percu-  
 tiat eum in septem  
 riuos, ita ut transiant  
 per eum calciati.

<sup>16</sup> Et erit via residuo  
 populo meo qui reli-  
 cus est ab Assyriis,  
 sicut fuit Israeli in  
 die illa qua ascēdit de  
 terra Aegypti.

**Cap. 12.**

<sup>1</sup> Et dices in die illa:  
 Confitebor tibi Do-  
 mine, quoniam ira-  
 tus es mihi: conuersus  
 es furor tuus, & con-  
 folatus es me.

<sup>2</sup> Ecce Deus seruator  
 meus, fiducialiter aga  
 & non timebo: quia  
 fortitudo mea & laus  
 mea Dominus, & fa-  
 cies est mihi in sa-  
 latem.

I

Et

66 PÄRAPHR. IN ISA. LIB. I. CAP. XII.

*Et libertatis vegeta non futilis author.*

<sup>3</sup> Haurietis aquas de  
fontibus saluatoris in  
gaudio.

*Vos ergo gentes hac ad noua sacra vocatae  
Latitia votisque diem hunc celebrate frequentes,  
Quásque suo seruator aquas de fonte propinat,  
Prodigus, & finem seruare modumque merendi  
Nescius, abiectis alacres haurite lacunis.  
Non opus est pretio, gratis hoc fonte sine vlo  
Munere proluere omnibus arida labralicebit.*

*Tum saturi in talem unanimes erumpite vocem:*

<sup>4</sup> Et dicetis in illa die: <sup>4</sup>  
Confitemini Domi-  
no, & inuocate no-  
men eius. Notas fa-  
cite in populis adiu-  
ventiones eius: me-  
mōtore quoniam ex-  
cellsum est nomē eius.

*Eia agite ô socij Dominum celebremus ouantes,  
Terrarum Dominum cælique cerebique potentem.  
Illum omnis sexus, etasque & lingua per omnes  
Quas Sol cunque plagas radiis illustrat, adoret.  
Dicite que cælo terraque marique potenter  
Edidit, & fando populis vulgate remotis:*

<sup>5</sup> Cantate Domino,  
quoniam magnifice  
fecit: & annunciate  
hæc in vniuersa terra.  
<sup>6</sup> Exulta & lauda ha-  
bitatio Sion, quia  
magnus in medio tui  
Sanctus Israel.

*Magnificumque Deum sublimique numen ad astra  
Tollite: tuque adeo imprimis quicunque Sionis  
Aurea templa colis, Dominum venerare Deumque  
Olim sorte tuum, nunc vero munere magno  
Per cunctas terræ diffusum habitabilis oras.*

Fontes Sal-  
uatoris Eu-  
gelicam do-  
ctrinam si-  
gnificant.

VATICI